Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Loco Act. 10. 5. lux facta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Visual Library

Simonis domus *juxta mare* fuit. Animadvertit vir doctiſſimus Benedictus Balduinus, coriarios, quod morticinia tractarent, ab urbibus fuiſſe ſubmotos, adeoque domum Simonis coriarii urbis ambitu excluſam, cum diſerte dicatur fuiſſe *juxta mare*. Ita ſane eſt, detracta cæſis animalibus coria concinnare & polire apud veteres ſemper turpe fuit habitum, unde tales urbium domicilio carere voluerunt. Docet locus Artemidori, quem vir doctiſſimus obſervavit: Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης. Καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται. *Coriariam exercere omnibus malum. Mortua enim tractat corpora coriarius. Quare & ab urbe ſecluditur.* Idem factum inter Hebræos veteres mihi fit veriſimile, cum morticinia attingere lege fuerit cautum. Unde & iſtos homines, quibus ſæpe incumbit pelles detrahere morticiniis, ut immundos fere ſemper, ſuo conſortio excluſerunt. Quare & Simonis domus *juxta mare* fuit, h. e. in ea parte urbis, qua mari alluitur. Adeo ut quidem Joppæ habitaverit, ſed urbe excluſus juxta mare.

Bald. de Calc. Ant. cap. 2.

Artemid. lib. 2. cap. 53.